



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. III. De festo sanctiſimi Rosarij B. Virginis Mariæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

stea Gregorius Nonus Pontifex retulit in Sã-  
ctorum numerum.

Historiam ordinis Prædicatorum varij  
scripsere, præsertim lingua Hispanica: qui-  
bus in regnis is ordo potissimum floret, &  
primas inter ceteros quodammodo obti-  
net.

De initio eiusdem ordinis Geraldus Le-  
mouicensis, ad B. Humbertum V. Magistrũ  
Generalem Latinè scripsit: quem librum  
gaudemus à Dominicanis fuisse typis publica-  
tum Duaci anno 1619. hoc titulo: *Vitæ fra-  
trum Ord. Prædicatorum, à Gerardo Lemouicensi  
antè annos 300. conscriptæ.*

Eiusdem ordinis Chronicon, & Bibliotheca  
de Scriptoribus Dominicanis, exstãt Pari-  
sijs anno 1585. edita, auctore Antonio Senen-  
si Lusitano.

## CAPVT III.

*De festo sanctissimi Rosarij B. Virginis  
Mariae.*

CVM Albigenium nefaria hæresis, sacro-  
sanctæ matris Dei dignitati potissimum  
infesta, in regione Tolosatium impiè grassa-  
retur, Dominicus, qui eo tempore Prædicato-  
rum Ordinis fundamenta iecit, diuino incen-  
sus ardore, Tolosam ad debellandos hæreti-  
cos, & fidem Catholicam propagandam se  
con-

contulit. Vbi cum omnia hæresum ac vitiorum incendio deflagrare vidisset, ad sacram anchoram beatissimam Virginem se cõuertit, precibus eam assiduis interpellat, vt tanta malorum inundationi sua benignitate subueniat.

Admonet ipsum diuinitus cęlorũ Regina, ac iubet, vt Rosarium populus omni mentis feruore prædicet: Hoc esse vnicum ac singulare ad euertendas hæreses, & vitia extinguenda præsidium.

Est autem Rosarium siue Psalterium, sacra quædam formula precandi Deum, in honorẽ Mariæ: qua, centies & quinquagesies recitata Angelica salutatione, instar Dauidici Psalterij, & cuiuslibet decadi interiecta Oratione Dominica, per 15. decades quindecim præcipua humanæ instaurationis mysteria pijs meditationibus percensentur. Huius autem adeo præclari inuenti, beatissima Deipara edocente, auctorẽ fuisse B. Dominicum certum est, quod etiam Rom. Pontifices Leo X. Pius V. Gregorius XIII. ac Sixtus V. Apostolicis diplomatibus profitentur. Cœpit ergo saluberimum Rosarij institutum per B. Dominicũ, eiusque fratres Prædicatores, incredibili cum animarum fructu, vbique propagari, erectęque sunt eiusdem complures Societates.

Sed B. Dominico morte in cœlum recepto, cum celebris consuetudo, vel hominum negligentia, vel dæmonis arte paulatim cœpisset

pisset excidere, vt penè iam extincta videretur, sacratissima Virgo immenso circumdata lumine, Fratri *Alano* eximio concionatori se visendam exhibuit: atque monuit, vt tum ipse, tum eius socij Prædicatores collapsam sacri Rosarij deuotionem totis viribus restituere conarentur. Siquidem hoc genus orandi pròptum ac facile, esse sibi gratissimum, ad impetrandam diuinam misericordiam accommodatissimum, populis salutare, & contra quæuis aduersa præsens auxiliũ. Sed & Priorem Cõuentus Prædicatorum Coloniae ciuitatis eadẽ sanctissima Virgo ad eundem instaurandum sacrum ritum, cùm se illi fecisset conspicuam, vehementer accendit.

Vix verbis exprimi potest, quantũ prædicatione & opera FF. Prædicatorũ diuina ista deuotio in Christiano populo vbiq; promouerit: quot quætæq; in honorẽ Dei genitricis sub Rosarij nomine fundatæ sint Societates, in quas Reges, Principes, Imperatores, atque Ecclesiarum Præfides pro summo ducũt honore cooptari. Romani etiã Pontifices innumeris indulgentijs, priuilegijs, fauoribus, atq; gratijs sacrum istud Rosarij institutum prosequentes egregiè ornarunt. Sed in primis ipsa beatissima Dei parens Maria, quod ipsa mundo contulit salutare Rosarij donum, mirificè fouet, & auget, cultores eius ingentibus afficit beneficijs, & clarissimis miraculis illustrat.

1571.

Inter quæ illud meritò singularissimum celebratur, quo Dei genitricis auxilio, sacris Rosarij precibus implorato, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo, septima Octobris, quæ Dominica fuit, ad Naupactum Achaici sinus, de Turcarum classe, viribus & numero longè maiore, à Christianis Principibus nauali bello, maxima post hominum memoriam victoria parta est. Cùm enim ea die vniuersum per Christianum orbem Sodalitates Rosarij pias preces, ac processiones de more haberent, ab omnibus fidelibus piè creditum est, eiusmodi preces ad obtinendam Dei genitricis opem, pro Christiana classe plurimum profuisse. Quod & Gregorius Tertiusdecimus litteris Apostolicis apertè testatus est.

Quocirca sanctissimus Pontifex Clemens Octauus, Apostolica auctoritate festum Rosarij Dominica prima Octobris, à Gregorio Tertio decimo institutum, publicis Ecclesie tabulis his verbis inscribendum præcepit: *Die septimo Octobris commemoratio sancte Mariæ de Victoria, quam Pius Quintus Pontifex Maximus, ob insignem victoriam à Christianis bello nauali, eiusdem Dei genitricis auxilio hac ipsa die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit: Gregorius Tertiusdecimus, prima huius mensis Dominica die, annuam solennitatem Rosarij eiusdem beatissimæ Virginis celebrandam decreuit. Festiuis igitur hodie sacratissimam Virginem lat-*  
dibus

dibus celebramus, quòd & sanctum Rosarium, & per illud innumera nobis beneficia contulerit. Ita legitur in Breuiario ord. Prædicatorum, anno 1603. Romæ & alibi edito.

## CAPVT IV.

*De Sanctis ordinis Prædicatorum.*

**P**Ræter *S. Dominicum* eminent in primis *S. Thomas Aquinas* Doctor Angelicus, qui obiit anno 1274. à Ioanne XXII. Diuis adscriptus an. 1323.

*S. Petrus* martyr, patria Veronensis, anno 1252. pro Christo ab Hæreticis occisus, ab Innocentio IV. in Diuos relatus anno sequenti.

*S. Hiacinthus* Polonus, à Clemente VIII. in cælites relatus.

*S. Raimundus Pennafortius*, per eundem Papam Sanctorum catalogo adscriptus.

*S. Catharina Senensis*, virgo.

*S. Agnes Politiana*, virgo.

De *B. Alberto Magno*, *B. Gendisaluo*, & alijs penè innumerabilibus Beatis ex ordine Prædicatorum, vide Dominicanæ Historiæ scriptores, & nominatim Abrahamum Bzouium in tomis XIII. & XIV. Annalium Ecclesiasticorum.